



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.6. Vim & merita patientis exhaustit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

DE TIMORE DOMINI. 19

fides infidelitate, ratio amentia plena est.
 Quid plura? in homine Christiano nec
 Christum invenio, nec hominem.

§. 5. *Misericordiam contemnit.*

Quæstus sum ab usum doni, hoc est, tui.
 Pejus est, quod sequitur; abusus donantis,
 hoc est, Dei. Indulgentia patris facit, ut
 genio indulgeas? Si opprimeret, si fulmine
 dejiceret, si ad orcum, ut potest, [quis enim
 vetat?] demitteret; auderes? quia prius est,
 tu impius? quia parcit, sævis? quia non oc-
 cidit, insanus? ignoscentem calcas, quem pu-
 nientem vererere? nimirum hæc illa est in-
 gens scelestaque vis contra Spiritum sanctum,
 cui se negat Deus [Matth. 12.] posse placari
 vel in hoc, vel in altero mundo. Læsa quippe
 patientia, læsus amor fit furor, ut factus est
 ex ove lupus; sic ille fit ex agnoleo, ex pastore
 iudex. ô formidandã tibi personæ novitatẽ.

§. 6. *Vim & meritã patientis exhaurit.*

Quidquid attingi, summum videtur;
 cum semper aliquid gravius instet. Ad san-
 guinem venio clamantem, non Abelis, sed
 Dei, sed Agni. O qualem hinc quantamque
 nequitiam! Occisus est. Cui? tibi. Impen-
 sus, superimpensus. Quam tu gratiam refers
 tot sudoribus, tot spinis, tot flagellis? Dicam,

te

te projicere hunc sanguinem in ventos? quā-
 lis ille quondam, qui cruentā in cælum ma-
 nu, *Vicisti*, clamabat, *vicisti, Gallilæ!* Dis-
 crimen est. Julianus suum cruorem in Chri-
 stum, nos Christi sanguinem in nos effundi-
 mus. Ille dicebat, *Vicisti: nos, victus es*, cla-
 mamus, *cujus bonitatem scelere superamus.*
 Inanes ergò spes Christi, irritique omnes
 labores. Frustra in Cruce pependit. *San-*
guis ejus super nos. [*Matth. 27.*] Paulus: (*Gal.*
lat. 5.) *Christus vobis nihil proderit. Evacuati*
estis à Christo; à gratiā excidistis. Recedit
 inglorius, & irrisus, non solum à nobis, pro
 quibus pependit; sed etiam à dæmonibus,
 contra quos certavit. Quorum hæc est a-
 pud Cyprianum (*De opere & eleemosynis.*)
 gravis in Christum infectatio: *Ego pro istis.*
quos mecum vides, nec alapas accepi, nec fla-
gella sustinui, nec crucem pertuli, nec sangui-
nem fudi: sed nec regnum illis caeleste promit-
to, nec ad paradysum, restitutā immortalitate
de novo revoco; & munera mihi quàm pretio-
sa, quàm grandia, quàm nimio & longo labo-
re quaesita sumptuosissimis apparatus com-
parant? Tuos tales munerarios, Christe, de-
monstra preceptis tuis monitos, & pro terrenis
caelestia recepturos, &c. Concludit Cypria-
 nus:

nus: Quid ad hac respondemus, fratres charissimi? Sacrilegâ sterilitate, quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes quâ ratione defendimus? quâ excusatione purgamus? qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis & sanguinis, vicem nec in modicis rependamus?

§. 7. Christum rursus agit in Crucem.

Heu me! nova plaga, peior, immanior. Dixi te dejicere crucem, mortem obliterare. Non dejicis; sed erigis. Non obliteras; sed innovas. Venditur rursus, spernitur, deseritur, abnegatur, flagellatur, spinis redimitur. Barabbæ postponitur, ostentui habetur, crucifigitur. Cain, ubi est frater tuus? quid fecisti? negasne vidisse? aut à te tam barbarè trucidatum? at ejus sanguis apud Augustinum (Serm. 181.) clamat. *Gravior apud me peccatorum tuorum Crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misericors ascendi.* Clamat apud Bernardum: *Cur addimus afflictionem afflicto? magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm Vulnera corporis sui.* Causam requiris? in Cruce homo tantùm patitur; in peccato etiam Deus.

§. 8. Nova Christi proditio.

Ego te si Judam proditorem, si Pilatum,
si